

www.e-rara.ch

Theatrum concionum sacr. topicum

Theatri concionum sacr. topici theoretico-practici pars VI - de lege naturae et divina: in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus : in specie, de Mosaica morali, ceremoniali, & huius typis ad Christum personalibus & realibus ... : cum adiectis

...

Anhorn von Hartwiss, Bartholomaeus

Basileae, Ann. 1686

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-79975>

Concio XVIII

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

1. Joh. 3. 1, 2. Pulchrè Theodoret. quæst. 31. in Num. Cur ad obitum Pontificis prescribit homicida reditum, qui nolens interfecit? Quia morte Pontificis secundum ordinem Melchisedek erat humani peccati solutio: ille rediit in Paradisum eos, qui illinc exulabant.

Huic Pontifici nostro Jesu Christo, Patri illius cælesti,
& Spiritui Sancto sit laus, honor & gloria
in sæcula sæculorum: Amen.



Libri I. Cap. XIV.

DE LEGE CEREMONIALI.

CONCIO XVIII.

*De Sacrificiis Christianorum in
Novo Testamento.*

Roman. cap. XII. v. 1.

Precor igitur vos, fratres, per miserationes Dei,
ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, san-
ctam, acceptam Deo, rationalem illum cul-
tum vestrum.



Ocrates Philosophus Gentilis, Sacrificia olim quàm minimis impendiis constare voluit, quòd Dii non egeant rebus hominum & magis spectent affectus immolantium, quàm divitias. Cùm enim improbissimi quique abundent divitiis, actum fore de rebus humanis, si malorum potius, quàm bonorum, victimis delectarentur.

Congruè profectò dictum, quia rebus humanis non eget Deus: omnis bestia sylvestris, & jumenta in montibus mille, illius propria sunt. Psalm. 50. 10. At Sanctis suis delectatur, qui cum ipso in se-
dus conve-

das convenerunt, aspersi sanguine sacrificii. Psal. 50. 5. hoc est, quibus fedus cum Deo potius est, quam sacrificia, quia nōrunt benignitate illum delectari, non sacrificiis, & cognitione sui magis, quàm holocaustis. Hof. 6. 6. ita quidem, ut, si quis offerat Deo bovem, externo tantum legis ritu, sine fide, sine contrito & integro animo, non magis ille acceptus sit, quàm qui sceleratè, contra legem, cædem perpetrat: & qui mactat parvam pecudem, ac si decollaret canem, hoc est, animal sacrificiis ineptum: qui offert munus, ac si sanguinem porci: quia utroque lege interdicitur, sanguine & porco, cum munera è similia, oleo & vino fierent, non ex sanguine, & porcus etiam neque in publico Dei cultu, neque in privato usu permixtus esset. Lev. 11. 7. & qui adolet thus, ac si benedictionem offerret vanissimo idolo. Esaj. 66. 3.

Quæ ratio fuerit Sacrificiorum in Vet. Test. quoruplicita fuerim? quomodo Christum, & unicum illius in cruce Deo Patri pro nobis oblatum Sacrificium adumbrarint, & quomodo per consummatum in cruce Christi sacrificium abrogata & abolita sint; præcedente sermone diximus. Diximus etiam antehac, ritus ceremoniales Veteris Testamenti omnes in Novo evanuisse: Sed Morales illorum significationes ad finem usq; Mundi durare, quod ipsum etiam Sanctus Apostolus Paulus in prælecto textu de sacrificiis docet, in quo nos παρακαλεῖ, precatur & exhortatur Ἄγε τὸν οὐλομένην τὸ Θεῶν, per miserationes Dei, ut corpora nostra hostiam vivam, sanctam & acceptam Deo sistamus: quapropter operæ pretium me facturum spero, si hoc sermone explicavero,

Qualia, abrogatis Leviticis, Sacrificia veri Christiani in N. T. Deo offerre debeant? Nam

Sacrificia & Hostias, Christianos Deo offerre debere, Paulus manifestè docet, Precor, vel exhortor vos fratres, p. r. miserationes Dei, ut &c.

Sententia hæc Paulina duas habet partes,

I. Exordium patheticum.

II. Exhortationem memorabilem.

I. Exordium patheticum, v. 1. Ἄγε καὶ, precor, exhortor Vos, Fratres per miserationes Dei. Heic observandum est:

I. Quos alloquatur Apostolus?

II. Quomodo?

III. Quale exhortationi suæ fundamentum substernat?

Dddd 2

A. Quos

A. Quos alloquitur Apostolus? *Fratres*. Intelligit Romanos ad fidem Christi conversos: & præter illos, omnes in Christum credentes usque ad finem seculi, in quorum manus hæc epistola, quæ totius doctrinæ Christianæ summarium est, pervenerit.

Appellat autem Christi fideles, *Fratres*,

a. Ut illorum captaret benevolentiam & optimum suum illis testaretur affectum.

b. Ut ad accuratam attentionem & observationem illorum, quæ ipsis præscriberet, illos excitaret, quippe quæ illis non parùm sint profectura.

Potuisset *Patris* assumere nomen, & ipsos *Filios* compellere, tanquam per Evangelium à se genitos, 1. Cor. 4. 15. quæ geniturâ Christus in illis fuit formatus, Gal. 4. 19. Potuisset illis imperare, quia imperandi jus in Christo habuit: agit verò cum illis, tanquam cum charissimis *Fratribus*.

Observatio Didascalica.

Spiritualis quadam est cognatio, consanguinitas atque affinitas inter fideles, in qua Fratres sunt, Patres & Filii: Et Patres quidem Filiorum suorum, Filiiq; Patrum: Fratres, quibus omnibus communis est Pater in cælis, Matth. 23. 9. quem Patres, Filii & Fratres, uno ore invocant, Pater noster, qui es in cælis, Matth. 6. 9.

Ufus ad Informationem.

Fidelium Christi Ministrorum officium est, *benevolum, fraternum & paternum suis Auditoribus contestari affectum*: quò sic omni malevolentia suspicione à se remotâ, attentius audiantur, sive doceant rudes & consolentur afflictos, sive corripiant prævaricantes, sive à viis errorum revocent aberrantes, exemplo Pauli hoc loco, & Gal. 4. 19. exemplo Petri, 1. ep. 2. 11. & ipsius Christi, de quo Esajas c. 42. v. 2, 3, 4. & c. 50. 4.

Ufus ad Exhortationem

Ministrorum, Charissimi Fratres, imitami Paulum, Petrum, Christum, & benevolentia vestra affectum, cœtibus vestris, quibus præestis, quacunque fieri potest, ratione declarate, ita quidem

a. *Ut errantes humanissimè & solidissimè instituatis & erudiatis, sicut Paulus Lytrenses ipsi sacrificare volentes, Act. 14. 11. seqq.*
b. *Uti*

b. Ut egros, tentatos, afflictos, moribundos flexanimi oratione confortatos consolemini, Esaj. cap. 35. vers. 3, 4. Cap. 40. vers. 1, 2. Ezech. cap. 34. v. 16.

c. Ut remissos, torpidos & ignavos per omnis generis salutaria praecepta & monita excitetis, Tit. 2. v. 12. seq. 1. Tim. 4. 7, 8.

d. Ut delinquentes & praevaricantes increpetis & objurgetis, sed cum omni lenitate & doctrina, 2. Tim. 4. 2. non ex odio & vindictæ alicujus cupiditate, sed ex fraterna, paterna & Christiana charitate, ut corrigendi partes, exemplo S. Augustini, nunquam suscipiatis, nisi coram Domino testari possitis, vos ex amore corrigere.

Ufus ad Correctionem.

Dolendum est, quoddam multi in Christianis cœtibus, hoc tempore tam sunt incurabiles, ut etiam praesentes in persona fidelium Dei Ministrorum, Christus, Prophetæ & Apostoli, humanissimè & nervosissimè docentes, non nisi surdis fabulas narrent, oleumq; & operam perdant, Esaj. 42. 20. & cap. 53. 1.

Ufus ad Exhortationem Auditorum.

Si qua igitur est consolatio in Christo Jesu, si quod solatium charitatis, si qua communiō Spiritūs, si quæ viscera ac miserationes, explete, Charissimi Fratres & Sorores in Christo, explete, inquam, gaudium nostrum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes & sententiis uni, Phil. 2. 1. Ut nostra spes sitis, gaudium & corona, de qua gloriari possumus in conspectu Domini nostri Jesu Christi in ejus adventu, 1. Theff. c. 2. v. 19.

B. Quomodo alloquitur Apostolus fideles Romanos? *Ἐπεκάλει ὑμᾶς. Obsecro, precor vos.*

Παρηγορεῖν, significat tum exhortari, tum precari & rogare.

Ufus ad Informationem.

Ministrorum Ecclesie est, nihil intermittere illorum, quæ ad Ecclesie adificationem faciunt. Dies noctesque, Pauli hortatu & exemplo, exhortari, obsecrare, arguere item & objurgare debent, 2. Tim. 4. 2. ne maledictionem illam incurrant, quæ super opus Domini negligenter facientes pronuntiatur, Jerem. 48. 10.

Ufus ad Exhortationem.

Semper igitur de prædicationis vestræ ministerio cogitate, ô Ministri Christi, lucremini animas docendo & vivendo, exhortemini segnes, obsecrate remissos, stimulos addite ignavis, confir-

mate sponte currentes, precemini fratres & sorores in Christo, ut dignè ambulent vocatione sua, quâ vocati sunt, Ephes. cap. 4. vers. 1. ne cessate etiam cum lachrymis unumquemque monere, Act. c. 20. §. I.

Uſus ad Conſolationem.

Felicissimi sunt, quos suavissimis exhortationibus, & beneficiis insuper longè maximis ad officium suum faciendum invitare dignatur Deus, nec tantùm invitare, sed humanissimis insuper verbis precari & rogare, 2. Cor. 5. vers. 19, 20. unde Ministris verbi seridè injungit, ut Clero, hoc est, Populo Christiano non dominantur, sed ut illius curam prompto agant animo, 1. Petr. 5. 2, 3. quia nempe exhortatio suavitate temperata, & quasi precatio, plus afficit & efficit, quàm turbulenta accusatio, & superciliosa imperiositas.

C. Exhortationi & rogationi huic fundamentum Apostolus substernit Miserationes Dei. Precor igitur vos, fratres, per miserationes Dei.

Quæ sint Miserationes illa Dei, particula illativa, igitur, indicat, quæ arguit, exhortationem Apostolicam ex illis derivari, de quibus præcedentibus capp. tractationem instituerat, nempe de Gratia Dei, quam electis suis ex Judæis & Gentibus, jam ante facta mundi fundamenta, in aeterna electione præparaverat: De justificatione fidelium, in Christo, & sanctificatione eorundem per Christum, quâ gratiâ Romanos etiam, quibus Apostolus evangelium prædicavit, dignatus est: sicque omnes illos Judæos & Gentes, εἰς ἀπελθῶν conclusit, ἵνα τὸς πάντας ἐλεήσῃ. Per has miserationes rogat Apostolus fideles, ut exhortationi suæ morem gerere non graventur. Miserationes igitur Dei fundamentum sunt exhortationis Apostolicæ, & simul argumentum, ut illi obtemperent, impellens. Regius Propheta David Misericordiam Dei, propter illius amplitudinem, vocat in plurali numero miserationes Dei, Ps. 103. v. 4. & Ps. 51. 3.

Miserationes illa in Deo, propensa sunt & prompta illius voluntas ad succurrendum nobis, creaturis suis, in magna miseria constitutis, quibus ipso actu succurrit. Vide Theatr. nostr. Part. 2. pag. 560. seqq.

Per has Miserationes Dei, exhortatur Apostolus fideles, ut corpora sua hostiam vivam Deo sistant.

Creatoris nomen apud Creaturas rationales multum valere debet, & Patris apud Filios non degeneres. Cur ergò miserationes Dei Creatoris potentissimi, & Patris benevolentissimi, cor hominis non emollient, & ad debitum officium præstandum non flecterent,

Apostolus non exhortatur per justitiam Dei, aut potentiam ejus, aut terribilitatem, aut alia perfectissima ejus attributa: sed per miserationes Dei, quæ solæ de propenso ejus erga nos animo, nos in quocunque statu certos reddunt. Miserationes hæ dicuntur *circumplexæ*, *viscera*, *intestina Dei*, quia miserationes sunt tenerriamæ atque intimæ, sicut matris erga fructum ventris sui, Esaj. 49. 15.

Ufus ad Consolationem.

Magnam miserationes Dei, Ecclesia & omnibus fidelibus ejus membris, consolationem afferunt: quia docent

a. Deum Patrem nostrum in cælis, misericordem esse, Luc. 6. cap. 36. Patrem misericordiam, 2. Cor. 1. v. 3. misericordem, gratiosum, &c. Psalm. 103. 8.

b. Ex miserationibus Dei, innumerabilia in nos emanare beneficia & auxilia, sublevationem infirmitatum nostrarum, & æternam salutem, Luc. 1. 78.

Has Dei miserationes confidenter opponere possumus

α. Atrocium peccatorum nostrorum magnitudini, Rom. 6. v. 20. Major est Dei misericordia, quàm omnium hominum miseria.

β. Flammanti iræ divine, & pœnarum igni, Prov. 18. v. 10. Quum igne zeli Dei absumpta fuerit tota terra, ecce tempore illo simul servabit claudicantem, depulsum congregabit, & laudem illi disponet, atque nomen in tota terra, Zeph. 3. 18, 19, 20.

Ufus ad Exhortationem.

I. Miserationum divinarum nunquam obliuiscamur: quotiescunque vexamur ærumnis, semper illæ nos consolantur, & fiduciam nostram confirmant, Hebr. 13. 5, 6.

II. Si miserationum Dei participes fieri volumus, ne differamus penitentiam nostram: condonat ille nobis peccata, sed ut reverenter colatur, Psalm. 130. vers. 4. propterea Paulus Dei miserationes exhortationi fundamentum substernit, & rogat atque exhortatur, ut per illas efficacissimè ad studium pœnitentiæ, & praxim pietatis excitemur, quia Dei miserationes.

a. Amorem in animo hominis reciprocum gignunt, sicut Regis & Principis gratia, subditorum illi amorem conciliat.

b. Docent, æquum esse, ut tanto miseratori, Esaj. cap. 54. v. 7. prono cordis affectu nos subjiciamus, eumque non servili, sed filiali timore atque obedientiâ colamus. Sicut Paulus Romanos, ira nos

Ministerii

Ministri Christi, vos charissimos fratres & sorores *exhortamur* per miserationes Dei ad vitam Evangelio dignam: Rogamus vos per Dominum nostrum Jesum Christum, per conscientias vestras, per temporalem & æternam salutem vestram, ut *incedatis sicut Domino dignum est*, ut illi per omnia placeatis, *omni opere bono fructum proferentes, & crescentes in agnitionem Dei*, Col. 1. v. 10. Patiamini, quæso, *corda vestra colliquescere ad hanc miserationum Dei mentionem*, ne fitis sicut equi & muli, Psalm. 32. 9. aut *iniquis illis similes*, Zeph. c. 3. v. 5. qui *erubescere nequeunt*,

II. *Ipsa exhortatio Paulina memorabilis.*

Ut sistatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, &c.

Ex visceribus miserationum Dei, victima illa unicus Sacrificii crucis, passionis & mortis Domini nostri Jesu Christi prodiit, quo redempti Deo, consecramur, Hebr. 10. 14. Ex visceribus miserationum Filii Dei, ignis ille exiit, quo holocaustum illud, gratum & acceptum Deo, incensum fuit, quo nos ei sumus reconciliati. Non igitur opus est, ut de novo, animalia juxta legem Mosis munda, Deo offerenda quæramus, aut exstructis altaribus, ligna & cultros paremus: Ab his veteris pædagogicæ ceremoniis, per Christi gratiam, jam sumus liberi. Nec tamen Summus ille noster Pontifex, per unicum illud & perfectissimum suum Sacrificium frustra nos consecravit, Hebr. 10. 14. *sed in Reges & Sacerdotes Deo Patri suo sanctificavit*, Apoc. 1. 6. *in Sacerdotium Sanctum, ad offerendum spirituales hostias acceptas Deo, per Jesum Christum*, 1. Petr. 2. v. 5. Ad hoc munus exequendum hortatur Paulus fideles, & jubet eos *sistere corpora sua hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, &c.*

Ufus Didascalicus.

Docet nos exhortatio Paulina penitus scrutari,

Qua sit ratio Sacrificiorum in N. Testamento?

Deum colendum esse, qui est, qui vivit, qui regit & omnia moderatur, ipsa natura homini dicitur: *Quomodo verò colendus sit, ut cultus illi placeat, natura lapsu corrupta, docere non potest: Caro & sanguis hunc non revelat*, Matth. 16. 17.

Sacrificia, *cultus Dei primus & antiquissimus sunt*, quem Deus Adamum: Adamus Abelem & reliquos Filios, eorumque Posteris docuit. Noah, Abraham, Isaac, Jacob Sacrificia Deo sæpius obtulerunt, & Moses tandem ea in certum ordinem jussu Dei redegit, & ab invicem distinxit.

Quo-

Quomodo Gentiles Patriarcharum & Populi Dei Sacrificia ex hominibus æmulaci fuerint, jam supra diximus.

Sacrificia illa Veteris Testamenti à Deo præscripta omnia, per Christi Sacrificium, in cruce oblatum, abrogata & abolita sunt. Vide supra pag. 568. Et nos singuli libertatem jam habemus ingrediendi in Sacrarium non manufactum, per sanguinem Jesu, eâ viâ, quam ipse dedicavit nobis recentem & vivam, per velum, hoc est, carnem suam, Hebr. 10. 19. Et tamen Doctrina Evangelica Novi Testamenti, à Christianis, qui Dei Sacerdotium sunt, Sacrificia etiam requirit: non quidem boum, vitulorum, ovium, aut columbarum, &c. Ipsorum tamen hominum cum corpore, animâ & spiritu. Non, ut homines vivi in altariibus maententur & immolentur, quæ ἀνθρώπων θυσία inter Gentes olim fuit frequentissima. Vide supra pag. 551. Sed, ut omnis Christianus, salutis æternæ cupidus, corpus suum Deo sistat hostiam vivam, sanctam, acceptam, rationalem cultum.

Observemus in Sancto hoc Christianorum Sacrificio,

I. Qui sint Sacerdotes?

II. Qualia Sacrificia sint offerenda?

III. Quomodo?

A. Quinam sunt Sacerdotes in Novo Testamento?

Singuli Fideles, qui Dei misericordiâ, ad animæ salutem, frui cupiunt. De his jam olim Esajas cap. 61. v. 6. Vos Sacerdotes Jehovæ vocabimini, & Ministri Dei dicimini. In vaticinii hujus complemento electi & fideles lætantur, Redemptorem suum laudibus concelebrant, eique dicunt, Apoc. 5. v. 10. Tu fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes. Hinc etiam Apostolus Petrus fideles Christianos Regale Sacerdotium appellat, 1. Ep. 2. 5, 9. & Sacerdotium Sanctum, ad offerendum Deo spirituales hostias, acceptas per Jesum Christum.

Christiani itaque fideles, Sacerdotes in Novo Testamento dicuntur, non propter munus Ecclesiasticum, quo, qui ad hoc legitime vocantur, funguntur: Sed propter officium Christianis fidelibus omnibus commune, quo spiritualia & grata Deo Sacrificia offerunt per Christum.

B. Qualia Sacrificia in Novo Testamento sunt offerenda?

Corpora nostra, hostia viva, sancta, accepta Deo.

Eccc

Corpo-

Corporum nomine intelligitur, quicquid Deus, à quo, quicquid fumus & habemus, accepimus, à nobis requirit: sicque omnia nostra, etiam charissima quaque, quia carissimo ex infernali Satanæ potestate nos redemit pretio, sanguine nempe Filii sui.

Nihil autem charius nobis est, quam ipsa caro nostra, Eph. 5. 29, ipsa corpora nostra. Reliqua omnia, quæ nostris serviunt usibus, facile contemnimus, & relinquimus, dummodò corpora nostra integra, sarta, tecta & illæsa conservemus, Job. 2. 4. Quando autem nos ipsos Deo offerimus, reliqua, quæ nobis serviunt, non retinemus, sed profitemur, nos nihil possidere, quod Dei non sit, adeoque ipsi non offerendum. Qui seipsum Deo detrahit, ex reliquis omnibus, quæ possidet, nihil ei offert, imò verò, quæ ipsius propria sunt, negat, cum nihil omnino homo habeat, nisi acceptum à Deo, Joh. cap. 3. vers. 27.

Hostia, vel victima nomine, cultus intelligitur, qui sub lege Moïsi in Veteri Populo summus habebatur, quæ à nobis Christianis etiam requiruntur, sed non amplius externa illa, per quas fideles illorum temporum, ad umbrarum veritatem, Christum, ducebantur. Victima & Sacrificia à nobis requiruntur, non animalium aut fructuum terræ, sed corporum nostrorum, non per destructionem corpoream rei oblatae, sed per destructionem spiritualem inherens in corporis nostris mali: non per fusionem sanguinis victimæ, sed per consecrationem sensuum nostrorum, mentis, intellectus, voluntatis: non corporis nostri hostiam cædendo, sed potius vitam ei spiritualem conservando, fovendo, ut loco bovis, qui sub jugum mittitur, obedientiam reddamus spontaneam: pro miti & immaculato agno, offeramus animi integritatem & innocentiam: pro ariete fortitudinem & virtutem spiritualem; pro turture, castitatem, pro columba modestiam & humilitatem, & in hoc virtutum Sacrificio adhibeamus salem discretionis & prudentiæ, oleum charitatis & mansuetudinis, vinum lætitiæ spiritualis, incensum ardentissimarum precum, rejecto fermento malitiæ, & melle hypocrisis: pro primitiis item, decimis, muneribus & libaminibus, quicquid extra corpora, animum & vitam nostram, uspiam charum habemus.

Clarius & specialius hæc exprimere conabor.

Δ. Sacrificia spiritualia Christianorum, quæ Deo Conditori & Redemptori suo offerre debent, sunt

1. Spiritualia holocausta. 2. Spiritualia Pacifica. 3. Spiritualia Eucharistica. 4. Spiritualia munera, & libamina.

I. Spiritualia Holocausta, veteribus respondentia.

Holocausta in Veteri Testamento Sacrificia fuerunt ἱλαστικά, propitiatoria: & 1. Quædam ex his pro peccato, quæ mactata & dissecta comburebantur tota.

2. Quædam pro reatu, quæ non tota comburebantur, sed pars carnis comedebatur.

α. Holocaustum nostrum in Nov. Test. propitiatorium,

a. Est Passio & mors Domini nostri Jesu Christi, qui semel oblati est, ut multorum peccata tolleret. Hebr.9.28. & unicâ suâ oblatione omnes in perpetuum consecraret, qui sanctificantur. Hebr.10.14.

Elench. Novo igitur & incruento sacrificio, quod pro peccatis vivorum & mortuorum quotidie offeratur, non habemus opus, maximè cum sine sanguinis effusione nulla fiat remissio peccatorum. Hebr.9.22. Nec Sacerdotes dici merentur Pontificiorum Clerici & Monachi, quum unum tantum in Novo Testamento Sacerdotem & Pontificem habeamus, Dominum nostrum Jesum Christum. Omnes Christiani in communi, Sacerdotes spirituales per metaphoram appellantur, quia Sacrificia spiritualia, de quibus jam agimus, Deo offerunt Hebr.13.15. 1. Petr.2.5. quod commune Christianorum privilegium, grandi sacrilegio sibi rapiunt sacrificuli.

b. Quodd Sacrificiorum pro reatu pars carnis comedebatur, admonet nos: Carnem Christi pro vita Mundi datam, panem nobis esse & cibum, quo anime nostra conservantur ad vitam æternam. Joh.6.51.

β. Holocausta comburebantur tota. Meminerit heic homo Christianus, totum hominem & omnes ejus facultates Deo consecrandas esse, & quemadmodum totum pecus destruebatur, ita nos singulos, quia peccatores sumus, meritis esse totalem corporis & anime destructionem, hoc est, mortem temporalem & æternam, quam subire deberemus, nisi condonatio esset apud Deum, Psal.130.4. propter sacrificium propitiatorium, hoc est, meritum filii Dei in carne manifestati. Atq; hac causa est, propter quam Paulus per miserationes Dei hortatur, ut corpora nostra, vivam, sanctam & acceptam Deo hostiam sistamus.

A quo Christus Servator corpus suum ex Maria Virgine assumptum Deo Patri pro nobis obtulit, meriti illius spiritualiter per fidem participes reddimur, quapropter merito etiam corpus nostrum, hostiam sibi po-

Sciit vivam, sanctam & acceptam spirituali modo. Quisquis hoc Deo non offert, se totum illi negat & subducit.

Quæritur: Cur Apostolus hostiam corporis potius à fidelibus requirat, quam animæ?

R. Non partem vult Deus, totum requirit, totum corpus, totam animam, totam vitam, totam substantiam, & omnia, quæ homini chara sunt. Corporis verò nomine hæc omnia exprimit Apostolus, quia fieri non potest, ut corpus Deo offeratur, nisi animæ spiritus operante, quæ seipsam ante omnia Deo sistere debet, ut corporis, quod animæ organum est, hostia convenienter Deo offeratur. Quemadmodum autem corpus sine anima vivere non potest, ita in statu gratiæ, nullas actiones morales Deo gratas producere, nisi à spirituali vita animæ.

Corpora nostra, Deo hostia viva, sancta, & accepta sistenda sunt.

Corpora, inquam, nostra & ejus membra.

Animæ, ut corpora sint hostia viva, & facultates animæ.

I. Corpora nostra, hostia accepta Deo sunt sistenda, hoc est, totus homo vivus ad imaginem Dei conditus, in peccatum prolapsus, per Christum redemptus, & per Evangelii præconium ad statum gratiæ vocatus.

Animalia in Veteri Testamento mactanda, & in Sacrificium Deo offerenda, immaculata esse debuerunt, sine ullo corporis vitio, non caca, non fracta, non mutila, non fluxu, psora, aut saniosa scabie affecta, non contusa, non avulsa, non excisa, non ab aliemigenis empta, Levit. c. 22. vers. 21. - 24. vide supra pag. 533.

Talis etiam Spiritus corporum nostrorum victima sit oportet:

Non caca, qualis eorum est, qui nihil vident in Sacris, qui veritatem cœlestem non cognoscunt, nec diligunt, quorum oculi mentis excæcati sunt à Deo hujus seculi. 2. Cor. 4. 4. ut non possint videre, quæ pulchra, aut eligere, quæ honesta sunt.

Non clauda, quæ in utramq; partem claudicet, quæ Deo quidem servire videri velit: ut simul Satanæ etiam, mundo & carni serviat.

Non habens cicatricem, aut corporis aliquod vitium, quale habent, qui cauteriatam habent conscientiam, & Bestiæ insuper characteristicam in fronte.

Non maculata, quales libidinosi & luxuriosi sunt laeturi. Pura mens centum litatis juvenicis præstat. Pecora & volueria munda

munda requisivit Deus à Veteri Populo: *'A nobis puritatem vita, & assiduum rerum celestium contemplationem.*

Non fluxu, p̄forâ, aut scabiæ affecta, quales sunt avari, quos nimia rerum alienarum habendarum cupiditas exulcerat, illi item, quorum sanguinem libido corrumpit: & voluptatum carnalium amor atque studium, abominabilem illis scabiem affricat.

Non mutila, quales sunt mutili *auribus,* qui salutaria Dei verba audire recitant: vel *oculis,* qui honesta videre nolunt: aut *pedibus,* qui nolunt sequi iusta: aut *manibus,* qui nolunt operari bona.

Opera igitur danda, ne tali aliquo aut consimili vitio & maculâ notemur, si gratam Deo victimam corpora nostra offerre volumus.

II. *Omnia corporis membra, hostia sancta & accepta Deo sunt sistenda,* arma iustitiæ Deo, non iniustitiæ peccato. Rom. 6. 13. Pulchrè Chrysof. Homil. 20. ad Rom. *Quomodo corpus hostia fiet? Nihil mali respiciat oculus, & factus est hostia: nihil turpe loquatur lingua, & facta est oblatio: nihil iniquè committat manus, & facta est holocaustum.* Imò non sufficiunt ista, sed ut bonum etiam faciamus opus est: nimirum ut eleemosynam faciat manus, calumnias inferentibus benedicat os: auditus divinis contumò sermonibus vacet: nihil enim immundi habet hac hostia: Et nos igitur tam manuum, quàm pedum: tam oris, quàm omnium aliorum membrorum, primitias Deo reddamus.

III. *Anima, ut corpora hostia sint viva, cum omnibus illius facultatibus, Deo est sistenda.*

Cadaver inanime, hostiam se Deo vivam sistere non potest. Animatum ergò sit corpus oportet, ab anima illi conjuncta, quod viva Deo hostia sistendum est: Corporis enim & animæ conjunctio in Christiano hoc Sacrificio dissolvi nec potest, nec debet. 1. Cor. 6. 20. 1. Thes. 5. 23.

IV. *Facultates anima, Deo in hostiam sanctam & acceptam offerende sunt.*

a. *Mens & intellectus à Spiritu Sancto illuminatus* 2. Cor. 4. 6.

b. *Phantasia, sive cogitationum sedes, cujus est Dominum sibi jugiter proponere.* Psalm. 16. 8.

c. *Judicium cognitione & sensu abundans, ad dignoscendum ea, quæ discrepant.* Phil. 1. 9. de quo pulcherrimè non nemo ex Veteribus: *Proprium nostrum judicium maclandum est, & vero scriptura sensui subjiendum: Hoc, holocausti genus est omnium excellentissimum.*

d. *Memoria*, quæ Verbi Dei nunquam obliviscatur Ps. 119. 16. Creatoris sui semper recordetur. Eccl. 12. 1. &, quæ novit, faciat. Joh. 13. 17.

e. *Voluntas*, quæ Deo sponte pareat. Psal. 110. 3. & ardentem oret: *Pater noster, fiat voluntas tua*, quemadmodum in cælo, sic etiam in terra.

f. *Affectus*, ut diligamus Deum supra omnia, Proximum sicut nos ipsos: *Ut odio prosequamur peccatum, & castigationes Dei paternas non aversemur*, Jerem. 10. 24.

g. *Conscientia omnium cogitationum, dictorum & factorum nostrorum testis*, ab operibus mortuis ad serviendum Deo purgata, Hebr. cap. 9. vers. 14.

Observatio,

Ut spiritualis hæc hostia Corporis nostri Deo offerenda, *Sancta sit, & illi accepta*, requiritur,

I. *Mortificatio peccatricis carnis*, seu carnalium concupiscentiarum, & abnegatio nostri ipsorum, quæ sic admissorum peccatorum nos pœniteat, ut amarum nobis sapiat in animo, quod antea dulce fuit in vita, &, quod pridie nos oblectabat in corpore, ipsum nunc cruciet in mente, ut ad Deum ingemiscamus & dicamus, *Tibi soli peccavi, & malum contra te feci*, Aug. serm. 7. in festiv. Nat. Et eleganter Macarius Homil. 47. *In Lege animalia ratione carentia offerebantur in Sacrificium, quæ, nisi mactarentur, grata non erant oblationes: modò quoque, nisi occidatur peccatum, oblatio non est accepta apud Deum & vera.*

Animalia V. T. Sacrificialia oblata significabant,

a. *Hominem offerentem, mortem esse commeritum.*

b. *Christum Servatorem Generis humani, pro peccatis illius, occidendum esse, ut, quisquis in illum credit, habeat vitam æternam.* Joh. 3. 14, 16.

c. *In spiritualibus nostris Sacrificiis, mortificandam esse, ut modò diximus, carnem nostram, hoc est, moriendum esse peccato, ut posthac vivamus Deo, Rom. 6. v. II.*

d. *Ad mortificationem carnis cum primis pertinere dolorem ob admissa peccata, peccatorum odium & eorundem fugam, de quibus in loco de Sanctificatione, lib. I. cap. 31. fusiùs.*

Hæc tamen non praterendum est, in Sacrificio hoc nostro spirituali, offerendum esse Deo

α. Cor nostrum, quod solum donum Deo dignum est, quia rerum omnium naturalium est compendium, & maximum mundi miraculum, solumque Deo gratum munus, Prov. 23. 26.

Discipuli munera olim Socrati Præceptoris attulerunt, sed nullum illi acceptius fuit, quàm pauperculi cujusdam, qui, cum nihil illi donandum habuerit, cor suum obtulit poliendum & informandum, ut ex eo aliquid in honorem ejus prodiret.

β. Cor contritum, quod labem originalem & actualem respicit, & juxta quoque Dei justitiam, quæ pœnam peccatori decrevit temporalem & æternam, unde cor merito liquefit per dolorem, Thren. 1. 22. Job. 30. 16. idque propter offensam Deum, qui summum bonum est: Oculos resolvit in lachrymas, quæ anima vulnere sanguis sunt, sicut illas Gregor. Nazianz. in orat. de Placilla, appellat. Et labia aperit per confessionem: Peccavi, Psalm. 51. 6. pœnitet: miserere, Ps. 51. 3. 4. Quod si cor, per agnitionem peccati, verè est contritum, Deum in cœlo quærit, ad illum sine intermissione suspirat, gratiam ejus implorat, Mundi que vanitatem agnoscit & contemnit.

I I. *Ut mortificata caro peccati, hostia Christiana sistatur Deo, quæ sit viva, sancta, & illi accepta.*

α. Viva. In Sacrificiis legalibus mors pecorum necessaria fuit: pariterque in Sacrificio Christi, mors Christi. Christus autem semel pro nobis mortuus, & resuscitatus, vult nos vivere Deo, & vivas illi offerre hostias. Quemadmodum Deus Caini Sacrificium olim, Gen. 4. 4. rejecit, & Judæorum, Esaj. 1. 11. & cap. 66. v. 3. ita hodieque Sacrificia hominum spiritualiter mortuorum rejicit. Vitam naturalem cum infidelibus habemus communem: vitam autem spiritua-lem cum Christo, Gal. 2. 20. quia, quando mortificatur caro peccati, Spiritus vitæ surgit in nobis.

β. Sancta. Animalia, in Veteri Testamento offerenda, nullâ parte deficere debuerunt, sicut jam suprâ ex Levit. 22. v. 21. - 24. diximus; quæ illorum perfectio tum Christi & Sacrificiis illius perfectionem significavit, quo mundamur à peccatis nostris, tum etiam Spiritus Sancti regenerationem, quâ sancti & inculpabiles coram eo constituimur, Eph. 1. 5.

γ. Accepta Deo, hoc est, quæ illi offeratur corde per fidem purificato, Act. 15. 9. Ita Abel Sacrificium Deo obtulit, Gen. 4. 4. quod Dominus gratiosè respexit, quia per fidem obtulit, Hebr. 11. 4. sine fide enim nec Persona, nec opera ejus Deo placent,

Rom. 14.

Rom. 14. ult. sola fides nos commendat Deo, Hebr. 11. 6. Fabulantur Gentiles Asterium quendam, fulmine ad Altare percussum esse, quia non purgatus sacrificavit. Nos veriùs dicimus, uniuscujusque munus, qui illud corde per fidem in Christum non purificato obtulerit, vanitatem, & suffitum ejus abominationem esse, Esaj. c. 1. vers. 13.

III. Inter Sacrificia Christianorum in N. T. viva, sancta & Deo accepta, meritò etiam referimus *Mertem sanctorum Martyrum*, quam pro gloria Dei, pro honore Servatoris sui Jesu Christi, & pro confessione veritatis Evangelicæ sustinent.

Αὐθρονησίαι quidem Gentilium & Judæorum idololatrarum abominabilis semper fuit Deo, sicut suprâ pag. 551. diximus. *Θεοθρονησίαι* tamen filii sui, manus & consilium ejus decrevit, Act. 4. 28. ut, per hanc solam, genus humanum ipsi reconciliaretur, & æternum salvaretur.

Sanctorum Martyrum Mors, *gratum quoque Deo Sacrificium* appellatur, Philipp. 2. v. 17. ubi Apostolus ait: *Quin etiam, si pro libamento offerar, super hostia, Sacrificioq; fidei vestro, gaudeo, & gratulor omnibus vobis.*

Appellatur autem *Sacrificium*, non propriè, sicut vel Sacrificia Veteris Testamenti typica: vel Christi antitypicum & verè expiatorium: Sed metaphoricè, sicut alia Sacrificia Novi Testamenti spiritualia, & cumprimis corpora nostra hostia viva, sancta & accepta Deo sistenda. Et quidem *Mors Martyrum* vel cum *holocaustis*, vel cum *libaminibus* comparari potest.

a. *Cum holocaustis*, quia, sicut in illis animalia mactabantur & cremabantur: Ita Martyres ipsam vitam seu animam suam *caram*, sive pretiosam non habent, ut peragant cursum suum cum gaudio, Act. 20. 24. imò verò *animas suas non diligunt usque ad mortem*, Apoc. c. 12. v. 11. sed patiuntur se occidi, mactari, cremari, & quovis tormentorum genere è medio tolli, ut passionibus suis Servatori suo conformes fiant, adeoque cum ipso etiam glorificentur, Rom. cap. 8. vers. 17.

b. *Cum libaminibus*, in quibus hostia ex aridis & liquidis constabat, ex simila, pane, fale, oleo & vino. Ita Mors Martyrum *libaminis instar est*, cui propter cœlestis doctrinæ veritatem perpessæ, vinum fortitudinis, sal constantiæ, & oleum lætitiæ, atque efficacis Spiritûs Sancti operationis in cordibus ipsorum affun-

abundatur, quod ipsum Martyrum Sacrificium, non potest Deo non gratum & acceptum esse, quia Mors Sanctorum suorum pretiosa est in conspectu illius, Psalm. 116. vers. 15. non quatenus crudeliter trucidantur: Sed quatenus quosvis cruciatus & tormenta, pro causa Christi, fortiter sustinent, adeoque non tantum in Christum credunt, sed pro nomine ejus etiam patiuntur, Phil. c. 1. v. 29. Persecutorum actio in martyrio, displicet Deo, sed constans Martyrum passio, illi grata & accepta est.

α. Quia per hanc ipse glorificatur, quando fideles holocaustum instar illi offeruntur in odorem bonæ fragrantiae.

β. Quia sanguis Martyrum, ut Tertullianus loquitur, semen est Ecclesia: & vapor ex Martyrum combustis corporibus exhalans, tanquam gratissimus odor, in multorum capita, non sine felici successu, penetrat.

γ. Quia sancti Martyres à Deo confortantur, ut propter conscientiam molestias perferant, injustè afflicti, 1. Petr. cap. 2. vers. 19. & tandem conformentur cum imagine Filii Dei, Rom. cap. 8. vers. 29.

Cum hoc ipso tempore, quo hæc scribo, graves Ecclesia persecutiones in Regno Galliae patiatur, Benevolum Lectorem remitto ad diligenter & cum attentione perlegendas Clarissimi Viri, D. D. Heideggeri Dissert. X. & XI. Tom. II. Dissert. pag. m. 243-454. Et ad Epistolas Calvini: Ad vincetos Fideles Lugd. Ep. 233. pag. m. 429. Epist. 243. ad vincetos Fideles Lutetiae, pag. m. 446. seqq. Item Epist. 252. pag. m. 460. in quibus multa inveniet, quibus non parum ædificabitur.

Non malè dixit, qui dixit: Martyres sunt Cor Ecclesiae, in quo perduelles veritatis suos exercent acinaces, tanquam in pecudibus destinatis ad mactationem, Psalm. 44. v. 23. & Petrus Chrysol. serm. 108. Sancti Martyres nascuntur morte, inchoant sine, vivunt occisione, & in caelis lucent, qui in terris putabantur extincti.

II. *Spiritualia Pacifica Sacrificia*, veteribus respondentia.

Vetera Pacifica non offerebantur tota, sed adeps tantum & renes una cum sanguine: Caro comedebatur, & convivia sacra instituebantur, de quibus pag. 553.

Hostia Pacis nostra cum Deo redintegrata Christus est. Sicut

Ffff

adeps

adeus pinguisimum & mollissimum est in animalibus, ita Christus, quod in se optimum fuit & præstantissimum, in acquisitionem pacis nostræ cum Deo impendit, perfectissimam nempe obedientiam, summam charitatem, & pretiosissimam mortem, quæ charitas, obedientia & mors Christi in Evangelio nobis prædicatur, quod **EVANGELIUM**, reverâ *Sacrificium est Novi Testamenti Pacificum*, de quo Apostolus, Rom. 15. 16. *Gratia mihi data est à Deo, ad hoc, ut sim Minister Jesu Christi apud Gentes, operans Evangelio Dei, ut oblatio Gentium fiat accepta, sanctificata per Spiritum Sanctum.*

Dicit Apostolus, *se operari Evangelio Dei*, hoc est, *Evangelii prædicationi*: similitudine desumptâ à Veteris Testamenti Sacerdotum oblationibus: idque facere magno cum fructu, ut Evangelium illud *oblatio Gentium fiat*, hoc est, ut ipsa Gentes, adeoq; etiam Romani credentes, prædicatione suâ mediante, *Sacrificium Deo acceptum sint per Spiritum Sanctum*, ejusque virtutem & efficaciam, cum Evangelio, ab Apostolo prædicato, conjunctam.

Sacrificium reale vocat Apostolus *Evangelium Dei*, à se per gratiam Dei gentibus oblatum, hoc est, prædicatum & annuntiatum.

Sacrificium Personale, ipsas gentes, quæ factæ sint oblatio accepta & sanctificata per Spiritum Sanctum. Quâ phrasi Apostolus, *gentium intelligit conversionem*, cum Deo reconciliationem, justificationem & salutem æternam.

Verè igitur *Evangelium*, *Sacrificium Novi Testamenti pacificum est*, quod pacem cum Deo factam in Christo annuntiat, & potentia est ad salutem cuivis credenti. Rom. 1. 16. Offeritur hoc in Templo Dei, in Ecclesia Novi Testamenti ad gloriam Dei, atque ad conversionem & salutem fidelium, à verbi Divini Ministris, per gratiam, quæ ipsis data est à Deo.

Post oblata *Sacrificia Pacifica* in Veteri Testamento *convivia scriptura*, & *quozannis Convivium Paschale*, fuerunt celebrata, in Sacramento *Sanctæ Communionis*, quam accedentes ad Deum habuerunt cum altari & sacerdote: *Communionis item inter se in Messia Servatore mutua*, per quam ipse Servator & omnia illius beneficia, omniaque singulorum charismata, membris in eodem corpore omnibus sint communia.

Loco epularum V. T. Nos in N. T. augustum illud & magnificentum habemus convivium, *Sacram Cœnam*, quam ipse Dominus noscitur Jesus Christus illâ ipsâ nocte, quâ à Juda proditus fuit, post

celebratum Epulum Paschale, instituit. In veteribus epulis caro Sacrificii comeditur: In hoc nostro, Caro Christi, quam dedit pro Mundi vita. Joh. 6. 51.

Veteris Ecclesiæ Patres, Sacram Cœnam aliquando appellant Sacrificium, non, quod propriè Sacrificium sit Deo à nobis oblatum, sicut Pontificiis placet: Sacrificia enim à Sacramentis in hoc differunt, quod in Sacrificiis homo munus suum Deo offert: in Sacramentis verò Deus homini promissa & exhibita bona repræsentat, applicat & obsignat. Sed in significatione impropria,

a. Quia Sacra Cœna, Sacrificium est *ἡνυσθησάν* Sacrificii Christi, & *ἐν χάριτι* pro longè maximo redemptionis nostri beneficio, & reparata salute.

b. Quia fideles ad resipiscentiam, novam obedientiam, & omnia vera pietatis exercitia semet ipsos Deo consecrant.

c. Quia Veteres olim cum administratione Sanctæ Cœnæ, elemosynas junxerunt, quibus Deo ad pauperum consolationem litârunt: Et hoc sensu Sacram Cœnam, Sacrificium incruentum: Mensam, Altare: Ministros Sacerdotes, & totam actionem, oblationem vocârunt.

Cum Cœna sacra, Apostoli & alii fideles in Ecclesia primitiva, suas quoque junxerunt Agapas, quarum Apostolus Judas v. 12. mentionem facit, ad quas ditiores conferebant panes, vinum, pecunias, & alia necessaria, in quibus cum pauperibus promiscuè discumbebant, & suæ absentibus partes, tanquam elemosynæ, mittebantur.

Sed nec hoc videtur prætereundum, quod Sacrificia Veteris Testamenti Pacifica, fuerunt, vel Voluntaria, vel Votiva: quo admonemur:

1. Sacrificia nostra spiritualia, totumq; cultum sacrum internum & externum, non debere esse coactum, aut violenter attractum, sed spontaneum, Psalm. 110. 3. ex intimo cordis amore erga Deum effuso profectum, qui amor ineffabili modo, & insuperabili virtute, corda etiam immorigera ad Dei obsequium trahit.

Malum indicium est, si quis vi cogendus aut compellendus est ad Deum agnoscendum, ad conciones frequentandas, ad preces privatas & publicas fundendas, & ad alia pietatis exercitia edenda.

Christus Servator noster, sponte se pro nobis Deo Patri obtulit, Psalm. 40. 8. Meritò etiam nos sponte Deo jubenti paremus, & Deum oramus, ut ingenuitatis suo spiritu nos sustentet, Psalm. 51. 14.

ad morem sanctissimæ ejus voluntati incanctanter gerendum.

2. *Vota etiam sancta, in Christianismo nostro, Deo offerenda, Pl. 50. v. 14. quæ sunt vel Generalia, vel Specialia.*

α. *Generalia, solemnem moralis obedientiæ pollicitationem complectuntur, quâ Satanæ, Mundo & carni nostræ renuntiantes, Deo nos obligamus, & perpetuam illi obedientiam promittimus.*

Hoc votum illi offerimus

a. *In Baptismo, baptizati in nomen SS. Trinitatis.*

b. *In S. Cæna sumptione, in qua fedus cum Deo renovamus.*

c. *In spiritualibus Christianismi exercitiis aliis.*

β. *Speciale Christianorum votum est externæ alicujus disciplinæ & sacræ exercitationis, quando sponte nostrâ, nos erga Deum obstringimus de lectione Scripturarum, precibus & jejuniis, statis temporibus instituendis, de erogandis eleemosynis, de non negligendis concionibus, de abstinentia ab immodico cibo, potu, venere, alea, otio, aliisque rebus per se adiaphoris: quarum tamen usu facillè labimur & peccamus.*

Cadunt itaque sub votum res indifferentes, & divino mandato præceptæ, quales in N. T. præcipuè vovendæ sunt, Esaj. 19. v. 21. quale votum fuit *Jacobi*, Gen. 28. 20. *Davidis*, Psalm. 119. vers. 106. Tale etiam fuit *Persarum* cùm Ephebis excessissent: *Se contempturos omne malum lucrum, omnes corporis voluptates & inanem gloriam; se amulatos virtutem, culturos divinum Numen & Parentes, se vera dicturos, bona acturos, neque horum quidpiam scientes & volentes violaturos.*

III. *Sacrificia spiritualia eucharistica.*

Qualia hæc in V. T. fuerint, diximus pag. 544. sub titulo *Pacificorum*. In consideratione autem Sacrificiorum spiritualium Christianorum, peculiarem illis vendicamus locum, quia omnino sine intermissione, quotidie hæc Deo à nobis sunt offerenda, juxta vaticinium *Malachiæ* de tempore Novi Testamenti, cap. 1. v. 11. *Ab ortu Solis usque ad occasum ejus magnum erit nomen meum (Jehovæ) in Gentibus, & in omni loco suffimentum offeretur nomini meo, & munus purum, quia magnum erit nomen meum in Gentibus, ait Jehova. Exercituum.*

Quis, linguas etsi centum habeat, oraque centum, & eloquentiam Angelicam, dignis modis effabitur, innumera numero, & pondere:

ponderare maxima à Deo nobis collata beneficia, in creatione, in conservatione, in gubernatione, in redemptione, adoptione, justificatione, regeneratione, & custodia per virtutem suam ad salutem? Quis beneficia exhibita, nobis nondum existentibus, nescientibus, non petentibus, nos & omnia nostra sibi debentibus? de quibus alio loco fusiùs. Quemadmodum Noachus in diluvio conservatus, ex arca egressus, aram exstruxit, & Sacrificia eucharistica Deo obtulit, quorum odor gratus illi & suavis fuit, Gen. 8. 20. Ita etiam nostrum est, Sacrificia laudis Deo pro beneficiis suis rependere, Psalm. 50. 14. vitulos nempe labiorum, Hof. 14. 3. Hebr. 13. 15. Quid enim melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? hoc nihil dici brevius, nec audiri latius, nec agi fructuosius potest, August. Quando enim Deo rependitur gratia, fons est misericordia, fluentia sua generi humano semper profundens, Chrysoft.

De carne Sacrificii eucharistici præcepit Deus, Levit. 7. v. 15. ut die oblationis ejus comederetur, nec quicquam ex illa usque manè relinqueretur. Cujus præcepti ceremonialis Morale, nos in N. T. adhuc obstringens, hoc est, Gratiarum actionem, pro Dei beneficiis, non esse differendam, Psalm. 92. 3.

Et quando ibidem v. 16. præcipitur, ut, si quid ex carne Sacrificii votivi, aut voluntarii, die oblationis remanserit, id postero die comederetur, non autem tertio: docemur, in N. T. veram pœnitentiam & charitatem Christianorum in tertium diem non esse differendam, hoc est, non esse procrastinandam, quia, sicut fera pœnitentia, ita quoque fera charitas, raro seria est, & vera.

I V. *Spiritualia Christianorum munera & libamina.*

Munera & libamina veterum fuerunt ex simila, pane, oleo, vino, thure, primitiis, azymis, &c. pag. 545. 546. ut agnoscerent Israëlita, quicquid haberent, id Deo acceptum ferendum esse.

Nostra Christianorum munera & libamina Deo offerenda, varia sunt.

1. Quicquid nobis in mundo charum & utile est, Parentes, Conjuges, Amici; Liberi, Deut. 33. v. 9, 10. Domus, agri, possessiones, omnia bona terrena, Marc. 8. 36, 37. Dignitates, honores, Heb. 11. v. 24. quorum omnium magnus quidem usus est in terrenis, non autem in cœlestibus consequendis. Vitaque ipsa, sicut paulò superius de Martyribus diximus.

Hec omnia Deo sunt offerenda, hoc est, quando illa à nobis repetit, æquo animo ipsi cedenda, & cum Jobo dicendum, Dominus dedit, Dominus recepit, benedictum sit nomen Domini, Job. I. 21.

Obtulit hoc modo omnia sua, Parentes, Conjuges, Liberos, Consanguineos, bona terrena, & dignitates mundanas, *Illustris Heros Galeacius Carraciolus, propter Christum & veritatem cœlestem, & in perpetuo exilio ad finem usque vitæ suæ vixit, cujus satis proluxa & memorabilis historia in appendice Martyrologii minoris Germanici legitur.*

Liberi cum primis, chara illa munera, à chara Dei manu accepta, grata ipsi iterum munera, seu hostia sunt offerenda, exemplo Abrahami, Gen. 22. v. 2, 9, 10.

Cuiunque Deus ait, offer mihi filium, filiam tuam in holocaustum, ille nec recuset, nec tergiversetur. Injustitiam cruentam Deus à nobis non flagitat: Talem autem,

a. *Ut liberos casti thori, in utero matris conceptos, per sanctum votum & pias preces ipsi offeramus, & natos per Baptismi Sacramentum.*

b. *Ut atate & staturâ proficientes in timore Domini educemus, Eph. 6. 4. Psalm. 34. 12.*

c. *Ut precibus sanctis & devotis quotidie illos Deo commendemus, ad sanctos progressus in dono regenerationis & sanctificationis faciendos.*

d. *Ut, cum moriuntur, filii maximè bonæ spei & optimæ frugis, non murmuremus, sed in Sanctissima Dei voluntate acquiescamus, eamque obedientiam, quam Abraham, Deo præstemus, qui iussus Filium suum in holocaustum offerre voluit. Dicat quisque cum B. Basilio: Vocatus sum Pater, quàm diu voluit, qui me Patrem fecit: nunc, cum mihi liberorum coronam detrabere statuit, non audeo oblectari & belligerare de iis cum eo, quæ non mea sunt, sed ipsius propria.*

2. *Sacrificia justitia, Psalm. 4. 6. Psalm. 51. 21. Justitia vera & coràm Deo valens, nobis imputata & à Deo donata, justitia est Christi activa & passiva, 1. Cor. 1. 30. 2. Cor. 5. 21.*

Sed justitia, quam nos tanquam Sacrificium Christianum Deo offerre debemus, est

α. *Justitia inchoata fidelium, quæ aliàs etiam obedientia Christianorum dicitur: quàm hæc grata Deo hostia sit, Samuel docet, 1. lib. c. 15. v. 22.*

β. *Politica & judicialis, quam sibi offerri, hoc est, cam*

eam exerceri Deus jubet, Esaj. 56. 1. *Observate jus & exercete justitiam.* Justitiâ enim & pietate Principes (omnes Magistratus) Dij sunt, Augustus apud Senecam. *Hujus utilitatem Pædalii, Gens Indica, agnoverunt, qui in suis sacris nihil nisi justitiam precati sunt.*

3. *Opera Misericordiae & Beneficentiae.* De his Christus, Matt. 12. v. 7. ex Hof. 6. 6. & Paulus, Hebr. 13. 16. Syrach. 35. 4. Ef. 58. v. 7. Rom. 12. v. 13. Misericordia, seu commiseratio, charitatis officia, & solacium atque auxilium egenis & afflictis præstitum, est *εὐμνη εὐωδίας, καὶ ἰουδαίας ἀγαθῆς, ἐὺἀγαθῆς τῆς Θεῶ.* Phil. 4. 28. *Offertur autem hoc Sacrificium Christianum*

a. *Quando pauperes non contemnuntur, tanquam colloquio nostro indigni: hoc enim foret καταχρῆσθαι τοῖς μὴ ἐχούσις, 1. Corinth. cap. 11. vers. 22.*

b. *Quando mercenariis & opificibus justa & equa merces solvitur.*

c. *Quando pauperum egestati subvenitur, non tantum largiendo illis elemosynam, sed aliquam etiam portionem illis domum mittendo, Nehem. 8. 12.*

d. *Quando pauperibus mutuum datur, etsi par non recipiatur, Luc. 6. 34.*

4. *Preces publica atque privata, quæ phialæ sunt aureæ suffituum plenæ, Apoc. 5. 8. & ipsum laudis Sacrificium, Hebr. 13. 15.*

Judæi sua Sacrificia habuerunt *matutina, vespertina, Sabbatica, menstrua, anniversaria & festalia.* Quoties hæc obtulerunt, precati sunt, ut à Deo impetrarent, propter quod oblata erant. Et magnam etiam Sacrificiorum cum precibus cognationem semper agnoverunt, unde Isaacus Ben Aramah, citante Guilh. Outramo, lib. 1. de Sacrific. c. 20. pag. m. 239. ait: *Preces Sacrificiorum habens rationem, suntq; illis potiores. Neque opus est dicere, has illorum vices præstare, ex quo illa fieri desierunt.*

Nec hoc prætereundum est, quòd, ex quo Populo Hebræo nulla amplius sacrificandi facultas est, Senatus ipsorum decrevit, ut, *statuorum Sacrificiorum loco, stata quedam preces adhiberentur: Sacrificia & preces eandem habere rationem ratus.*

Frequentissimum etiam nostrum Sacrificium *preces sunt, matutinum & vespertinum, quia Cœli sunt clavis, & scala, & optimum omnium malorum levamen, in quibus itidem precamur, ut illas nostras preces clementissimè exaudiat, & eam nobis largiatur gratiam, pro qua eum precamur.*

Cum hoc precum, Deo oblato munere, conjunctum debet esse

a. *Oleum supernatans*, quod *fides est vera & fiducialis*, quæ sola nos Deo commendat, Hebr. 11. 6. & certos nos facit, precibus nostris victoriam contra hostes nos reportaturos, & pacem cum Deo per Christum reconciliato habituros perpetuam, Roman. c. 5. vers. 1. seqq.

Sed oleum, dona etiam Spiritus Sancti significat, qui oleum dicitur letitiae, Psalm. 45. 8. & *Spiritus Gratiae atque precum*, Zach. 12. 10.

b. *Thus*. Thus non incensum neque ardet, neque suavem odorem emittit. *Incensum verò prunis viventibus superinjectum suaviter fragrat*. Ita *preces non devota*, in cælum evolare nequeunt: *Incense verò per devotionem, prunis calamitatum & tentationum superinjectæ*, gratus Deo sunt suavissimæ fragrantiae odor: funduntur in terris, & operantur in cælis, Syr. 35. 20, 21.

c. *Sal*, omnem corruptionem & peccata avertens, quæ prævaricantium preces Deo ingratas faciunt, Joh. 9. 31. *Sal cibum condit*, eumque palato gratum reddit, *ita sal prudentia & discretionis preces nostras*: quando nempe voluntatem nostram cum Dei voluntate planè conformamus, & oramus, *fiat voluntas tua*, sicut in cælo, ita etiam in terra.

d. *Panis azymus sinceritatis & veritatis*, quæ utraque virtus hominem Christianum exornat & Deo commendat.

5. *Confessio vera Religionis & fidei in Christum*, quem Apostolus Paulus, *Apostolum professionis vel Confessionis nostræ*, Hebr. 3. 1. nominat; & Regius Propheta, Psalm. 50. 23. docet, *qui sacrificat confessionem, illum glorificare Deum*. Hæc confessio, fides est in Christi Sacrificium, fiducia in Mediatorem, & applicatio totius illius meriti, in agnitione peccati sui. *Hæc confessio metior est bove juveneo, cornuto*, Psalm. 69. 32.

Hoc Sacrificium confessionis liberæ, claræ, rotundæ & constantis, si unquam, hoc certè turbulento persecutionum tempore, Deo, ab omnibus illis, magno fervore & constantia offerendum est, qui vi & fraude, pollicitis & minis, ad adorandam bestiam Apocalyptricam, invitantur & sollicitantur, quos omninò memores esse oportet sententiæ Christi, Matth. c. 10. v. 32, 33. & Marc. 8. 35.

Cum hoc munere conjuncta cum primis debet esse *simila*, à qua *furfures affectuum carnalium & amoris mundi, dignitatumque voluptatum*

luptatum & divitiarum mundanarum procul abesse debent.

Videmus tandem etiam

C. Quomodo Sacrificia Spiritualia in Novo Testamento Deo sint offerenda?

Apostolus ait, ita offerenda esse, ut sint λογική λατρεία: rationalis cultus: hoc est talis, qui non consistat in oblatione pecudum irrationalium, aut in externo tantum, & merè corporali, sine mente, exercitio, qualis multis Judæis in Veteri Testamento erat proprius: & in Novo Testamento hypocritis. *Sed in spirituali totius hominis*, quando nos totos Deo sistimus ad obsequium, non solum corpore per externam obedientiam, & σωματικήν in cultu sacro externo γυμνασία, 1. Tim. 4. 8. *sed & mente ac voluntate*, omnibus cogitationibus, concupiscentiis, internis motibus, affectibus, inclinationibus: adeoque operam damus, ut toti sanctificemur spiritu, animâ & corpore. 1. Thes. c. 5. v. 23. quæ ἰσοπέτοι πνευμαλικαὶ 1. Petr. 2. 5. *Sacrificia spiritualia*, oblata Deo, non juxta corruptæ rationis humanæ ductum, extra Scripturam, *sed in spiritu & veritate*, fidei, pio & prompto animo, juxta præscriptum verbi divini, cum imploratione mediationis Christi, Hebr. 13. 21. & conjuncto studio charitatis Dei & proximi. His Sacrificiis ἐναρεσέται ὁ Θεός: Hæc ipsi grata & accepta sunt Psal. 69. 31. Psal. 50. 14. Apoc. 5. 8. Phil. 4. 18. *Non*, ut propter illa nos justificet, aut peccata nostra per illa expientur, *sed*, quod per Christum justificati, hæc Deo munera offerentes, eum Deo cultum acceptum præstemus, quo divinam ejus benedictionem, & paterna beneficia, magis magisque impetremus.

Ufus Didascalicus,

Apparet ex his,

Sacrificia & Sacerdotes etiam Novo Testamento convenire, sed in significatione impropria: Non literali, sed morali.

a. Sacrificium propriè dictum in Novo Testamento *non nisi unicum est*, Mediatoris inter Deum & Homines, verissimi Pontificis & Sacerdotis nostri Jesu Christi, qui semetipsum in ara crucis, pro nostris peccatis, Deo Patri obtulit in mortem: de cujus Sacrificio prolixè & præclare epistola ad Hebræos agit, quod describit ut unicum, perfectissimum, & nunquam amplius, sicut in

Gggg

Veteri

Veteri Testamento iterandum. Hoc Christi Sacrificium Augustinus *singulare & unum appellat, quod multa in Lege victima præfiguravit.* Enchirid. c. 33. & 62.

b. Sacrificia improprie dicta N. T. competunt gemino respectu,

1. Ministerii Ecclesiastici. 2. Ecclesia totius & omnium fidelium.

¶ Respectu Ministerii Ecclesiastici. Quanquam enim Ministri Ecclesiæ nullibi in Novo Testamento specialiter & ἐξαρπείως, Sacerdotes appellantur, sano tamen sensu nomen hoc illis accommodari potest, quia in locum Sacerdotum Veteris Testamenti successerunt: quia, totius Ecclesiæ nomine, precum, laudis & gratiarum actionis Sacrificia, Deo offerunt, quia mysteria passionis dominicæ dispensant, & memoriam ejus concelebrant, quia denique homines Deo quasi mactant, & per ἱερεῖον Evangelii offerunt. Rom. 15. 16. quem locum Chrysostomus pulchrè illustrat, quando scribit: *Ipsam mihi Sacerdotium est prædicare & evangelizare. Machara siquidem mea Evangelium est, sermo scilicet prædicationis: Hostia seu oblatio sunt gentes. Acceptabilis illa sit per Spiritum Sanctum Deo. Nam in isto Sacrificio neq; lignis, neq; igne, neq; gladio opus est. Omnia ista nobis est Spiritus Sanctus: propterea omnia facio, ne ignis iste extinguatur: Hoc etenim & in mandatis habeo.*

¶ Respectu totius Ecclesiæ & omnium fidelium. Vocatur hæc ab Apostolo Petro βασιλεὺς ἱερέων, Regale Sacerdotium, 1. Epist. 2. 9. & Fideles, Sacerdotes, Apoc. 1. 6. & c. 5. 10. ratione Sacrificiorum spiritualium, quæ Deo offerunt, quæ sunt, sicut paulo superius, fusiùs explicavimus,

a. Holocausta Corporis sui & omnium illius membrorum, animæ & illius facultatum.

Sub his etiam comprehenduntur Sacrificia mortificationis Veteris hominis: Cordis, & quidem contriti. Et Martyrii Confessorum Christi.

b. Pacifica præconii Evangelii: Convivii communionis Sanctorum, sacra Cœna. Cultus Dei spontanei, & sanctorum votorum.

c. Eucharistica laudis & concelebrationis nominis divini.

d. Munera & Libamina rerum nobis charissimarum: justitiæ, obedientiæ, operum misericordiæ. Precum cum oleo fidei, thure devotionis, vino poenitentiae, & sale discretionis, confessionis item veræ religionis. Quæ singula Sacrificia, Deo gra-
ta &

ta & nobis suavia in locum priorum sumptuosorum & valdè molestorum successerunt, & nominibus illorum, tanquam figurarum, insigniuntur. Psalm. 51. 21. Esaj. 65. 7.

Usus ad Informationem.

Pecudum immolationes in Veteri Testamento Deo non placuerunt, nisi respectu obedientiæ divino jussui præstitæ, quatenus typi fuerunt Sacrificii unici, sibi à filio suo pro nobis in ara crucis oblatis: & figura spiritualium nostrorum, per λογικὴν λατρείαν ipsi spiritualiter oblatorum, in quibus obedientia acceptior ipsi est, quam *victima*. 1. Sam. 15. 22.

Usus ad Elenchum Pontificiorum.

I. Qui ex hoc, quòd Paulus cultum rationalem à nobis requirit, conjiciant, *Cultum rationis judicio conformatum & congruentem, Deo esse acceptissimum*, contrà Scripturam, quæ planè & in totum rejicit, quicquid ratio humana, extra Dei Verbum, comminiscitur, quia, Spiritus Sancti illuminatione, & fide in Christum destituta, in rebus divinis talpâ cæcior est. 1. Cor. 2. 14. Dei præceptis obsequi tutius est, quàm cæcæ rationi. Ezech. 20. 18, 19. Num. 15. 39. *Displacuit Deo omni victima alieno igne incensa*, quo manifestè significavit, ingratum sibi esse omnem cultum, qui Spiritum Dei auctorem non habet, nec ex cœlesti charitate proficiscitur.

II. Qui præceptam ab Apostolo λογικὴν λατρείαν, de carnis mortificatione per spontaneam flagellationem procurata, interpretantur, quâ pro peccatis suis satisfacere, Deum se demereri, & gratiam ipsius impetrare posse credunt, quam tamen rationalem, hoc est moderatam esse volunt. Nos verò spontaneas illas flagellationes, & carnificinam Esaviticam, opus Baaliticum, & flagellationi Christi in prætorio, summè injuriam esse dicimus. *Mortificatio carnis non in externa illa corporis afflictione consistit, sed in affectuum carnalium & concupiscentiæ peccatricis, per alia media, domatione.* Si talia opera carnali & crasso modo intelligenda essent, certè ipsum corpus crucifigendum & occidendum esset, quando carnis mortificatio & crucifixio præcipitur, Gal. 5. 24. Colofs 3. 5.

Usus ad Correctionem.

Excitat nos Deus è veterno, & ad officium faciendum suavissimis exhortationibus per *miserationes suas* invitât: beneficiisque longè maximis, quæ dignè satis æstimari nequeunt, prævenit:

Nos tamen paternâ ejus benignitate abutimur. Conqueritur Daniel in Adject. cap. 3. v. 38. *Non est hoc tempore Propheta, Princeps & Dux, neq; holocaustum, neq; sacrificium, neq; incensum, neq; locus Primitiarum coram te.* Idem hodie conquerendum, sensu spirituali, Novo Testamento conveniente: *Propheta Dei deficiunt*, (non numero, sed probitate) *Cordati Principes & Duces disparent*: holocausta corporis, non offeruntur Deo, sed Mundo: primitiis bonarum cogitationum vix locus est: incensum orationis non fervet. Vovemus Deo multa, litamus pauca: jungimus cum Sacrificiis nostris fermentum iniquationis vitæ, aut doctrinæ vel falsitatis, vel novæ singularitatis & curiositatis: addimus mel, φιλοδοξίαν, aut studium vanæ gloriæ humanæ. In summa, plures Baccho, Cereri, Veneri, Erynnidi, Medusæ, Plutoni, Mammonæ, & aliis Gentilium Deastris, peccatis & Satanæ litant, quàm vero Deo.

O miseros & infelices Gratia divina contemptores! Invitat Deus & renuimus! *extendit manum suam, & non animadvertimus: abstrahimus nos ab omni consilio ejus, nec correctioni ejus acquiescimus.* Quid putatis eventurum? *Ridebit in calamitate nostra: subsannabit, cum evenerit, quod expavescimus*, Prov. 1. 24. Eo se hucusque demisit, ut, per miserationes suas, ad sibi obediendum nos invitaverit: nos verò & aures & corda nostra obthuravimus & induravimus: rejicimus Christi Ministros, qui legatione pro Christo funguntur, & nomine ipsius, ut Deo reconciliemur, precantur, 2. Cor. 5. 20. Contemnimus omnia sacra, cœlestia & divina monita. Quid mirum Cœlum nobis minari vindictam, terram & maria? Regum consultationes, Anti-Christi & Cleri illius deliberationes, perfidorum & malefactorum inter nos ipsos improba conamina, temeraria molimina, & fraudulenta tentamina? Quid mirum Gallicanam affligi Ecclesiam, nostram periclitari? Quid mirum Hungariam, bello Turcico, & Cæsareano totam exhauriri? Quid mirum Angliam intestinis motibus confusam lamentari? Quid mirum Archi-Palatinatum in extrema novæ acie constitutum querulari? Multos jam annos Divina clementia per miserationes suas cunctos invitavit, ut se totos hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo immolarent. Sed surdis cantata est fabula. *Nemo auscultavit servis ejus, Prophetis, qui nomine ejus alloquebantur Reges, Principes, Patres, & totum Populum*, Dan. 9. 6. Quid? quia Prophetæ fideles, bonum, Dei jussu, prophetare non poterant, odio

odio propterea habiti, 1. Reg. 22. 8. nuntii alii à Deo missi, cæci & furdi facti, Esaj. 42. 19. pulvillos pro prævaricantium axillis confuere cœperunt, Ezech. 13. 18. & abdomen suum curantes, pacem etiam iniquissimis proclamare, Mich. 3. 5. *Profectò, non credendi sunt Dei miserationes unquam rectè intellexisse, aut virtutem illarum in animo suo sensisse, qui illis ad ἀσέλγαν abutuntur; & cùm Deus per illas corporum nostrorum victimam, vivam, sanctam & acceptam sibi poscat, ipsi cadavera offerunt jam fœtèntia sine ullo ad pietatem sensu & motu: sicque hostias immundas, porcorum in gula & crapula: Canum in luxuria, Luporum in rapacitate & voracitate, Pavonum in superbia, Serpentum in venenatis linguæ spiculis. Et quid non? Corporis oculi Deo consecrandi, vanis & ludicris pascuntur cum voluptate, aures scurrilia dîcteria, & nugas attendunt: lingua voces blasphemias adversus Deum, & convicia contra Proximum spargit, manus sanguinem innoxium fundunt, & proclives sunt ad inhonestos contactus: pedes ad malum perniter currunt: ita à pedis planta ad capitis usque verticem, nulla est in hoc corpore sanitas, Esaj. 1. 6. An putaris tale corpus oblatum, gratam Deo fore victimam? Malach. 1. 8. Cùm affertis animal cœcum ad sacrificandum, nihilne est mali? &c. Nos etiam deterius facimus. Ubi erga sanctitas nostra? proh! quanto sacrilegio. vasa Domûs Dei, corpora nostra, Deo subducuntur, & profano Belsezaris convivio adhibentur? In Græcorum Sacris αἰθέρηλα nuncupatis, interesse profanis non licuerat: propterea Sacerdos ad Sacrificium accessurus præfari solebat, τίς τῆδε; Quis hic? cui, qui Sacris intrerant, respondebant, πολλοὶ ἀγαθοί, multi boni. Si hodie quærantur à Christianis, Sacra, ut Deo se in hostiam sanctam offerant, frequentantibus, Templâ adeuntibus, & Sacrà Domini Cœnâ utentibus, Quis hic? omnes quidem uno ore è vestigio, juxta præconceptam opinionem suam, respondebunt, multi boni. Quod si verò rectè viderimus, & uniuscujusque vitam expenderimus, multi comparebunt mali. Unus enim est adulter, nec amoribus illicitis hætenus valedixit: alius est homicida, cujus manus, ab innocenter fusosanguine, etiamnum calent: tertius est scenerator, qui proximum defraudare nondum cessat: Alii aliis vitiis adhuc sunt dediti. Quales verò sunt sacrificantes, tale est eorum Sacrificium. Persona illorum tam non placet Deo, quàm non placuit Caini: ideoque nec Sacrificium illorum ei acceptum est.*

Ufus ad Exhortationem.

I. Memori *semper mente retineamus*, neque unquam obliuiscamur,

a. *Sacrificia V. T. pignora fuisse sancta cuiusdam hominum cum Deo communionis.*

b. *Publica, de Dei in omnes creaturas dominio, testimonia, quod ipse Deus sit omnis carnis, qui servare possit & occidere.*

c. *Memorialia cultus interni Deo debiti, Ps. 50. 14. & 51. 19, 21.*

d. *Typos Sacrificii aeterni in cruce immolandi, Esaj. 53. 11.*

Et tamen, utut Deo his nominibus accepta fuerint, *ad salvandum tamen fuisse inepta*, & in foro justificationis impiorum rejecta: adeoque observandum in illis fuisse tum *Corticem, tum medullam.*

α. *Cortex, materia Sacrificiorum fuit, & externus actus, cujus respectu nihil conferebant aliud ex instituto Dei, quam externam* *ναζαρὲθ & τὴν σαρκαῖν*, Hebr. 9. v. 9, 13.

β. *Medulla Sacrificiorum, illorum est significatio mystica, seu ipse Christus, agnus ille mactatus ab initio Mundi, Apoc. 13. v. 8. cujus intuitu non plus habuerunt ad justificandum efficaciam, quam signa nostra Sacramentalia: vel umbra, verbo promissionis, virtutem meriti Christi offerentis & obsignantis vestita, quâ ratione ad fidem & salutem efficacia fuisse nemo negaverit.*

Docuerunt ergò Sacrificia,

a. *Homines similes esse jumentis, & si stricto jure cum illis agere vellet Deus, mactandos, & igne iræ suæ absumendos.*

b. *Nullam ex ulla nuda creatura sperandam esse justitiam & salutem, sed Sacrificio alieno perfectissimo & valoris infiniti opus esse, quod Sacrificium Christi est, Hebr. 10. v. 5-14.*

II. Cùm Christus seipsum in ara crucis, tanquam omnium Sacrificiorum Veteris Testamenti Antitypus, pro electorum & credentium omnium salute obrulerit, merito omnes fideles Christi Ministri, nos cum Paulo, per miserationes Dei exhortantur, ut corpora nostra hostiam vivam, sanctam & acceptam Deo sistamus. En, suavissimè invitant per miserationes Dei, cur morem gerere tergiversaremur? Miserationes Dei, sicut rectè Chrysostronus docet, justos probant, sanctos roborant, & cultores Dei ostendunt, merito igitur impellunt, ut Sacrificia justitiæ Deo immolent. Psalm. 51. 21.

aa. *Corpus suum, cum omnibus suis membris, corde,*

corde, oculis, lingua, manibus, & quæcunque ipsis in mundo chara sunt, & utilia esse videntur, ut sunt Confanguinei, Amici, honores, dignitates, facultates, &c.

Colamus singuli Deum, etiam corporali cultu, non in cerebro tantum & cogitationibus subsistente, sed ipso facto realibus pietatis exercitiis. Ne accidat nobis molestum horulam concioni audiendæ impendere, attentè audire, audita apprehendere, & apprehensis obtemperare.

Offeramus nos totos Deo juxta illud Aug. in Psalm. 49. *Noli extrinsecus, quod macies, inquirere; Habes in te, quod occidas, & Orig. in Levit. hom. 1. Habes & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valde petulans, caro tua, quam, si vis munus Domino offerre, ut eam castam pudicamq; custodias, adduc eam ad hostium tabernaculi, ubi divinarum librorum posui suscipere audium, &c.*

bb. Sistamus nos Deo hostiam vivam, sanctam, acceptam, rationalem cultum nostrum. Dico rationalem, quia non nisi ad rationem verbi Dei, illum exigere debemus, ut mens nostra intelligat, quid Deo præstare debeat, & voluntas eadem cum gaudio & delectatione expediat.

Si fortè caro aliquando fortior fuerit, quàm spiritus, demus operam, ut spiritus prævaleat, & bruti affectus mortificentur. Ita verò corpora nostra hostiam vivam per rationalem cultum Deo sistamus.

aa. In Altari Christo, Hebr. 13. 10. Apoc. 6. 9. & cap. 8. 3. in quo solo, Deo Patri grati sumus & accepti, Eph. 1. 6.

β. Ut per fidem, quæ lumen est actionum humanarum, directorium mentis & regula vitæ, ita in vita ambulemus nova, ut posthac peccato non amplius serviamus, Rom. cap. 6. vers. 4, 6. 1. Petr. cap. 2. v. 24. 2. Cor. c. 5. v. 14.

cc. Sistamus corpora nostra Deo hostiam mundam, ut, purgatis conscientis nostris ab operibus mortuis, posthac serviamus Deo vivo, Hebr. 9. 14. & sectemur sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, Hebr. 12. 14. Procul hinc este profani.

dd. Sistamus corpora nostra Deo hostiam voluntariam, Psalm. 110. vers. 3. afficiamur desiderio veniendi ad atria Jehovæ, Psalm. 84. vers. 3.

ee. Sistamus Deo eadem, hostiam acceptabilem, cum

cum qua conjuncta sint Beneficentiæ munera, Gal. c. 6. vers. 9, 10. 1. Tim. 6. 18. Syr. 4. v. 4. quam beneficentiam proximo, membris cumprimis Christi persecutionem patientibus, exhibitam, remunerabitur Deus in cœlis, ubi, pro bucella panis famelico data, panem vitæ recipiemus & hæreditatem æternam.

III. Offeramus Deo Sacrificia

a. *Eucharistica*, pro pretiosissimo Verbi sui, clementissimè nobiscum communicati thesauro, Ps. 119. 127. Jerem. 15. v. 16.

pro pace Ecclesia nostra, & nobilissima illius gemma, divina & cœlesti veritate, Psalm. 87. 3.

pro spe vitæ aeternæ, post exantlatos hujus vitæ labores, & superatas miseriis indubitato possidendæ, Ps. 103. 1. seq.

b. *Pacifica pro impetrandis*, post nostri cum Deo per Christum reconciliationem, *ulterioribus beneficiis*, quibus nos non fruamur soli, sed tota Dei Ecclesia hoc tempore, miserè afflicta, in Gallia, Hungaria, Palatinatu, ex parte in Anglia, & ubicunque ab hoste truci, Anti-Christi satellite, premitur & affigitur. Videmus ultima conari Draconem, & extrema quæque tentare, cum parùm temporis sibi restare videat, Apoc. 12. v. 12.

Conjungamus cum omnibus Sacrificiis nostris spiritualibus

a. *Oleum charitatis Proximi*, quæ signum est filiorum Dei, & à filiis Satanæ accuratissimè distinguit.

β. *Sal prudentia & discretionis*, ut sapiamus *πεῖσω, ἡγὴ ὀμίσω*, irreprehensibiles, sinceri & inculpati in medio nationis *περver-* sæ, Phil. 2. 15. Eph. 5. v. 15, 16.

γ. *Thus & thymiana precum*, quod, quo ardentius, hoc validius, insuperabilem vincit, & omnipotentem ligat: funditur in terris, & operatur in cœlis.

IV. Sumus pauperes, offeramus columbas & turtures, hoc est, columbinam innocentiam, & vocem turturis auditam in seria pœnitentia.

V. Frequenter meditemur, *Sacrificiorum V. T. finem fuisse*

1. *Solemne peccatorum confessionem*, & pro eorundem remissione supplicationem.

2. *Publicam fidei professionem*, quâ venturi Messiaë victimâ, Deo se reconciliari, crediderunt.

3. *Gratitudinis pro acceptis beneficiis corporalibus & spiritualibus iustificacionem*,

Hunc eundem nobis præstituamus finem in nostri ipsorum victima.

1. Confiteamur peccata nostra Deo, ex Ps. 40. 13. & Ps. 51. v. 6.

2. Supplicemus pro remissione peccatorum, ex Psalm. 51. v. 3, 4, 9. Dan. cap. 9. vers. 16, 19.

3. Credamus in Christum Jesum Filium Dei, qui dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis, Gal. 2. 20. quem Pater nobis donavit, & cum illo omnia, Rom. 8. 32.

4. Testemur gratitudinem nostram, corde, ore, opere, fide, celebratione nominis ejus & obedientiâ. Requiramus semper faciem ejus, Psalm. 27. 8. Oret quisque nostrum: O clementissime Deus: Nimm mich mir/ und gib mich ganz eigen dir. Eripe me mihi, & vendica me tibi. Nimm von mir/ was mich twendt von dir/ und gib mir / was mich zeucht zu dir. Aufer à me, quod me repellit à te: & largire mihi, quod me trahit ad Te. Doce me facere placitum tuum, &c. Psalm. 143. vers. 10.

Hac ratione sanctam, vivam & acceptam Deo sistemus hostiam corpora nostra, quando, ex sententia Chrysof. hom. 20. in ep. ad Rom. nihil mali respicit oculus noster, quando nihil turpe loquitur lingua nostra, quando nihil iniquum committit manus nostra, & quando bene insuper operamur, in omnibus nostris dictis atque factis.

Ufus ad Consolationem.

Gentiles sua olim Sacrificia vocârunt *medicamenta*. Christi Sacrificium verissimum est medicamentum nostrum, 1. Joh. 1. 7. Et per hoc, nostra etiam Sacrificia Deo grata sunt & accepta, Ps. 51. ult. Propter Christi pro nobis oblatam victimam, puro labio, amabilia verba nobis nunc loquitur Deus, Zeph. 3. 9. Peccata nostra nobis remittit, Es. 1. 18. Mich. 7. 19. Pacem nobis eloquitur, Psalm. 81. v. 15, 16. & 85. v. 9. & tandem, ex omnibus miseræ hujus vitæ malis nos ereptos, regno suo cœlesti servabit, 2. Tim. 4. 18.

Hæc de Sacrificiis Christianorum spiritualibus:

Epilogus.

Exod. 23. v. 15. Israëlitis, in Veteri Testamento, ad festa accedentibus, non licebat venire manu vacuâ, sed cum Sacrificiis & donis, quæ offerebant in altare Templi.

Cum nos regale Dei Sacerdotium simus, 1. Petr. 2. 5. Quotiescunque in Templum venimus, sacras ad Deum susuri preces, &

H h h h

volun-

voluntatem ejus ex Verbo per Evangelii præconium percepturi, manu vacuâ nunquam comparere nobis licet. Dona quæ afferamus, Deo acceptissima erunt, cor contritum, & fide purificatum, Ps. 51. 19. Act. 15. vers. 9. Oculi à vanitate averfi, Ps. 119. 37. & ad Dominum respicientes, Ps. 121. 1, 2. Lingua virtutem Dei nostri prædicantes, qui nos à tenebris vocavit in admirabilem suam lucem, I. Petr. 2. 9. Manus in innocentia lotæ, Ps. 26. 6. auxilia & elemosina egenis Christi membris erogata, & quæ similia sunt sacrae pietatis officia & exercitia.

Hæc Deo allata munera, non in cassum erogantur: gratis Deo non servitur: sed, quæ quis dona integro corde & plenâ manu ad Jehovam attulerit, ea in libro commentarii pro timentibus Jehovam, & cogitantibus de nomine ejus scribuntur, Malach. 3. 16. qui oblectationem suam in illis habebit, æterna prædii illorum portio futurus, Ps. 16. v. 3, 5. qui postea verâ cordis ἀληθοφωδία exclaimabunt ex Apoc. 1. 5, 6. Jesus Christus, fidus ille testis, primogenitus ex mortuis, & princeps Regum terra, dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris per sanguinem suum, & fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo, ei sit gloria & robur in seculis seculorum. Amen.

Nota. Præter Sacrificia, Rebus Sacris Typicis in cultu Ceremoniali V. T. connumerantur duo Sacramenta, Circumcisio, & Agnus Paschalis. Sed de his lib. I. Cap. 22. in Loco de Sacramentis agemus: & Res aliæ, videlicet Cultus Sacri utensilia, de quibus concione sequente, in tractatione de Locis Sacris cultus Ceremonialis.



Libri I. Cap. XIV.

DE LEGE CEREMONIALI,

CONCIO XIX.

De Locis Sacris, in quibus cultus Ceremonialis in V. T. peractus fuit:

CUM